



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Rev. P. Francisci Josephi à Rodt Capuccini Anterioris Austriæ Provinciæ. Opus ...**


Planctvs Ecclesiæ Et Animæ - Super Caput Primum Lamentationum  
Jeremiæ Prophetæ. Allegorice, Et Moraliter Expositus, & Distributus In  
Discursus LII. Concionatorios Quadragesimales ... ; Scilicet Liber Vitæ, Et  
Excessvs Amoris ...

**Rodt, Franz Joseph von**

**Campoduni, 1680**

Beth. Plorans ploravit in nocte. Thr. 1. v. 2.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52659](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52659)



## DISCVRSUS III.

Beth.

Plorans ploravit in nocte. *Thren. 1. v. 2.*

## DE ECCLESIA.

*Deplorat noctem haresum, & errorum exor-  
torum.*

I. **T**Ristem, ac lamentabilem Jeremias noctem commemorat, à filia Sion continuis lacrymarum rivis perfusam: Plorans, inquit, ploravit in nocte & lacrymæ ejus in maxillis ejus. Sed quænam hæc nox lacrimabilis, & Propheta? Si cum afflicta filia Sion in somnem ducis, ut Custos, noctem, edic nobis tristem noctis conditionem & causam? Quippe non sine ratione te hodie illius Isaiaë verbis interpellare præsumo; *Custos quid de nocte? Custos quid de nocte?* Quænam hæc nox? quam dura? & quàm diu duratura? *Dixit Custos; venit manè & nox.* Manè scilicet liberationis *Nox. tri-* duarum tribuum (uti Glossæ *Ordinariae* conformiter exponit

Hugo) *Et nox, tempus tribulationis vestrae, quia remanebitis in captivitate.*

At si tristem, ac longam passa noctem fuit plebs Israëlita, non minus tristem, formidabilem ac longam noctem experta est Domina gentium, Ecclesia Dei; longa, & cruentis tormentibus inundans nox, fuit persecutio, & adversitas per aliquot sæcula à Principe tenebrarum protracta. *Plorans ploravit in nocte, & lacrymæ ejus in maxillis ejus.* Tam formidabiles, & obstinatæ erant hæc persecutionum tenebræ, ut eas vix aliquando serenâ tranquillitatis luce superari posse speraret. *Custos quid de nocte? Custos quid de nocte?* Num sempiternis involucrarum persecutionum tenebris?

C 3

AN

An nullum, tribulationis nocti, succedet serenum diei crepusculum? Ne despondeas an imū: Venit manē & nox; Veniet manē liberationis & tranquillitatis, quando excusā tenebrarum, & gentilitatis potestate, lucida prosperitatis ac tranquillitatis dies Hemispherio nostro militantis Ecclesie, orietur.

31. Sed neque hæc dies & manē

suis carebunt nubibus & nocte, Venit enim manē, & nox, qua

Dei Ecclesia angustiatur; Nam teste Doctore mellifluo, *nox, est Iudæica perfidia; Nox, ignorantia paganorum; Nox heretica pravitas.*

In ista nocte & tenebris, lucem deesse noluit Deus: Sed *Lux in tenebris lucet*, in medio scilicet erroris, vel, in tenebris, *id est, in cordibus tenebrosis*, ait Hugo

Cardinalis. Noluit enim Deus, qui solem suum oriri facit super bonos & malos, suos tenebrosis cordibus subtrahere radios gratiarum, & *tenebræ eam non comprehenderunt.* Ex versione

*Lux in tenebris lucet.*

græca legitur: *non apprehenderunt. Vatablus: non susceperunt.* Præsertim autem hoc de Judæis intelligit Hugo, Tenebræ eam non comprehenderunt, *id est, Iudæi tenebrosi lucem istam non ceperunt, quia non sunt illuminati, non propter defectum lucis, sed propter vitium eorum, quia noluerunt oculos aperire ad lucem.* Licet enim toto orbe lucidissimos

*Sed Iudæi eam non comprehendunt.*

suos radios sol diffundat, si tamen quis vel oculos aperire negligat, fasciis obnubat, aut domi suę reclusus valuas & januas luci occludat, parum solarium radiorū claritate fruatur, voluntariis conclusus tenebris: Haud secus licet Sol Justitiæ Christus, qui est Lux hominum, gratiæ & veritatis radios diffundat, tamen tenebræ, *cæcitas, ex parte contigit in Israël*, eò quòd Judæi obstinati mentis oculis occlusis valuas atq; januas exorienti luci opposuerint. *Posuisti tenebras, & facta est nox: nempe posuisti tenebras, cæcitate Iudæis, & facta est nox in eis, id est, obscura mentis obstinatio.*

Nox quidem obstinata perfidiæ Judaicæ, & ignorantia paganorum sunt foris, extra Ecclesiam, eamque a foris circumdant; Sed nox perversitatis hereticæ intra ipsam clausuram & gremium exorta est, ab iis scilicet, qui portam Ecclesie per sacramentum Baptismi sunt ingressi, detestandas in ea tenebras, & noctis umbras suscitare per errorum suorum caliginem conati, has ergo maxime deplorat Mater Ecclesia; Plorans ploravit in nocte & lacrymæ ejus in maxillis ejus.

Horrendam noctem, atque ab orbe condito inauditas, nec unquam porrò audiendas tenebras indurati patiebatur Ægyptij.

Rom. 11. v. 25.

Psal. 103. v. 20.

Glossa Ord.

III.

Exodi. c. 20. v. 21.

III.

rij, tam densas, ut palpari possent, tam horribiles, ut per totum illud triduum, non tantum nemo videret fratrem suum, sed omnes metu, quasi tabescentes movere se de loco non audent, totum mundi ordinem aut perversum, aut dissolutum rati: Quin tam densis tenebris quasi vincti, & tenebricoso carcere reclusi gemebant, uti in libro Sapientiae innuitur his verbis: *Unâ enim catenâ tenebrarum omnes erant colligati.* Summè verò hisce tenebris admirandum venit, quòd ubicunque habitabant filij Israël, lux erat; & quidem non tantum in illis vicis, plateis ac domibus, ubi ab Ægyptiis separati habitabant Israëlita, sed in eadem civitate, vico, platea, domo, & cubili, ubi Ægyptij simul juncti erant Israëlitis, clara diei lux recreabat Judæos, & Cimmerica, noctis tenebræ affligebant Ægyptios.

Horribiles successivè in Ecclesia Dei obortæ sunt tenebræ errorum, & hæresum. Fuerunt enim, qui catenâ tenebrarum colligati Christum Dei Filium, Patrique consubstantialem negarent, uti cum suis Arius: Sacratissimum summæ Trinitatis mysterium cum asseclis suis, non agnovit Sabellius: Originale peccatum negavit Pelagius: Deiparam, Mariam,

agnoscere recusavit Manichæus, eidemque, saltem interveniendi pro nobis facultatem, negant novellantes nostri Sectarii, qui pariter flammæ expiatorias, seu purgatorias tanquam vanum Catholicorum figmentum explodere, S. Missæ Sacrificium quasi Idololatriam abrogare, non erubescunt, Calvini præsertim asseclæ, qui spiritu vertiginis obvoluti, & umbrâ mortis circumfusi, realem Corporis, & Sanguinis Domini præsentiam in Venerabili Sacramento, in umbram & figuram convertunt. Ut verbo absolvam, factæ sunt tenebræ horribiles, quas plorans deplorat Ecclesia, eò, quòd tantum filiorum suorum numerum Ægyptiis hisce tenebris involutum conspiciat.

De Ægyptiis testantur Expositores in locum suprâ citatum, eos triduo illo non tantum cœlesti solis luce, sed etiã omni domestici luminis sive candelarum, sive ignis solatio fuisse orbatos, ob tenebrarum palpabilium densitatem.

Præter clarissimos Solis divini, ac æternæ Sapientiae radios, clarissima in super lumina super Candelabrum Ecclesiæ, Deus posuit, clarissimos inquam, ac non tam sanctitate, quàm doctrinâ Illustrissimos viros, ac doctores; Nunquid

Lumen

Sap. c. 17.  
v. 18.

Tenebræ  
Ægypti.

Tenebræ  
Hæreses.

Luminis  
sunt Deus  
doctores.

Lumen ardens Ambrosius? Nunquid Lucerna lucens Augustinus? Nunquid candela rutilans Hieronymus? Nunquid Fax præfulgens Gregorius, Basilii, Athanasius, Chrysostomus, Nanzianzenus, Hilarius, Cyprianus, Chrysologus? Ut innumeros alios, unâ cum iis, qui proprius ad sæcula nostra accesserunt, præteream, qui lucidis, & claris suæ irrefragabilis doctrinæ radiis, etiamnum per totum militantis Ecclesie Hemispherium rutilantibus, errantes in tenebris, & umbra mortis Sectarios, ad claram fidei lucem perducere sufficerent, sed ira tenebris suis obvoluti, & colligati jacent

*Hos odernunt heretici.*

miseri, ut neque hæc lucentia Ecclesie lumina respicere, eorumque ductum sequi dignentur, malintque cum fuliginosis suis, & vitiorum fumo, ac caligine obscuratis auctoribus, horrendis tenebris immori, quàm ad veram fidei claritatem perducere, eò planè minus commiseratione digni, quò voluntariis excæcati tenebris, *dilixerunt magis tenebras, quàm lucem*, hinc gravius sibi paraturi iudicium, uti insinuat æterna veritas: Hoc est autem iudicium, *id est ratio condemnationis reprobatorum* (juxta moralis glossæ expositionem) quia Lux venit in mundum, & dilexe-

*Glossa Moralis*

runt homines magis tenebras, quàm lucem, nempe (uti ex venerabili Beda, eadem glossa exponit) *Illi magis tenebras, quàm lucem diligunt, qui suos Prædicatores bene docentes odys, & deractionibus insequuntur*: Qua persecutione Hæretici non contenti, igne feròque persequuntur filios lucis, qui suâ sanâ, & clarâ doctrinâ, ac prædicatione ipsos ad fidei lucem perducere laborant. In tam insanam mentis cæcitatem, voluntariæ illos tenebræ præcipitant, non tam detestandos, quàm deplorandos ab affectuosa Matre Ecclesia, quæ plorans ploravit in nocte.

Et siquidem miraculo accidit, quòd inter tenebras obvolutis olim Ægyptiis, *ubicunque habitabant filij Israel, ibi lux erat*, non minus etiam admirandum, quòd inter hæreticos passim commixti, in hisce partibus, veri Orthodoxi, unâque regione, civitate, vico, imò & subinde domo, & cubili cohabitantes, solares tamen fidei radios, & invariaturum fidei articulorum lumen semper conservent, nullis unquam tenebrarum obstaculis obscurandû, aut perturbandum, sed fixis fidei oculis intuendum.

IV.  
*His tenebris non obscuratur Ecclesia.*

Magnum aquilas inter, & noctuas, discrimen esse constat, aquila namque lucis amant.

*Aquila lucem amat.*

anies

antes fixis, solis rotam, oculis intuentur, dum è contra amicæ noctis, noctuæ, ac diei, lucisque inimicæ, claritatem diei refugijunt, qua oculi earum vitiosi offenduntur, & cæcutiunt, circumvolantes inter nocturnas tenebras, quæ debilem oculorum aciem fovent, ita ut caligantibus oculis melius, quàm aquilæ tenebrosa noctis objecta perspiciant

Noctuæ, noctisque infestæ, & horribilis, incolæ, sunt Hætherodoxi, qui licet rebelles lumini, fidei, divinorumque mysteriorum lucem abhorreant, neque ea cognoscant, aut aspiciant, nec etiam tenebras suas, licet palpabiles advertant, caligantibus tamen oculis inter ipsas suas tenebras mundana negotia acutissimè dispiciunt. Hæ quippe noctuæ, & bubones (uti bene Hugo Carenfis advertit) *Cæci in spiritualibus, vident in temporalibus*, de quibus & illud æternæ veritatis oraculum probè intelligi potest, *Elij hujus sæculi prudentiores filijs lucis in generatione sua sunt, filijs hujus sæculi, id est, tenebrarum*, glossatur Ordinaria prudentiores sunt, nempe (juxta mentem Lyrani) *Magis astuti sunt & fervidi in temporalibus negotiis agendis, & in operibus tenebrarum harum. Acutè hunc passum inspicit Hugo Cardinalis, & quæstionem movet:*  
*P. Franc. Josephi Op. IV.*

*Sed quomodo vident clariùs filii tenebrarum, quàm filii lucis, cum nihil videri possit, nisi in luce? Respondeo: Bubo & Murilegus clariùs vident in nocte, quàm homines, non literas ad legendum, sed mures, ad capiendum. Sæcularia enim grossa sunt, & palpari possunt etiam de nocte; spiritualia autem subtilia sunt, & vix videri possunt etiam in luce. O quàm agiles & perspicaces in capiendis temporalium lucris exercitati sunt Hætherodoxi nostri? quàm dextri ad Interesse politicum? Non invenias felem tam indefessè & subdolè furtivo pede muribus insidiantem, & cauto saltu unguibus mures comprehendentè, quàm isti ad quavis lucra temporalia, & mundana, ac politica negotia sunt vigilantissimè intenti, & dexterrimè exercitati. Totam vitam in horum murium industriosa venatione insumunt, quibus caliginosi oculi ad materiales istas, & temporales causas abundè deserviunt, sed infirma nimis eorum acies oculorum est, ad spiritualia, & reconditum spirituale sensum, qui latet sub tenui scripturæ litera; Hinc subtilis S. Scripturæ litera accurratè inspicienda, ne superficialiter aspecta occidat, hinc ad ejus intelligentiam clara dies exigitur, & Lucifer exoriens in cordibus nostris. Hæretici verò dum in nocte, & nocturna*

Hugo hic Sicut bubones & feles in nocte vident.

Noctuæ  
 Hæretici.  
 Vide hanc  
 Contraversiam.  
 fer. 3.  
 Pent. f.  
 505.

Hugo  
 Card in  
 Isa. c. 42.  
 v. 18.  
 Luc. c. 16  
 v. 8.

Glof. Ord.

Lyranus  
 hic.

Vide  
 Conc fer.  
 2. Paschæ.  
 fol. 332.

Esdrae 13. nã mundi prudentiã, tanquã  
v. 2. Nocturã, literam Scripturã in-  
spiciunt, eam non modò non  
satis dispiciunt, sed seipfos de-  
cipiunt & occidunt, semen Ver-  
bi Dei adulterando.

V. Veritum erat lege antiquã,  
Deut. 23. ne Ammonites, & Moabites  
v. 3 & 2. intrarent in Ecclesiam Dei in  
Esdrae 13. aeternum, & primò quidem,  
v. 1.

Glossa eò quòd non occurrerunt filiis Israel  
Moral. cum pane & aqua. Per istos Am-  
Ammoni- monitas, & Moabitas significa-  
ra & Moa- ri asserit glossa moralis hareti-  
bita, hare- cos, & Schismaticos, qui repellen-  
ticos de- di sunt ab Ecclesia Dei. Tales enim  
notant. non occurrunt populo Dei cum spiri-  
tualibus alimentis, nomine panis &  
aque significatis, nempe quia non  
occurrunt cum pane Verbi Dei,  
ut breviter Interlinearis expo-  
nit. Alia ratio, quare Moabi-  
tes & Ammonites exclusi fue-  
rint à templo, est, quia ex dam-  
nato & incestuoso coitu filia-  
rum Loth fuerunt procreati,  
hæ enim cum patre inebriato  
per noctem dormientes conce-  
perunt; & prima quidem vo-  
cavit filium suum Moab, id est,  
ex Patre; altera, vocavit filiũ,  
Ammon, id est, Filium populi,  
vel generis mei: Voluit ergo  
Deus manere incestus hujus pa-  
terni tam infamis memoriam  
apud Hebræos, ne illorum con-  
nubiis aut societate, prætextu  
cognitionis, contaminaren-  
tur.

Incestuosè  
nati,

Monet autem glossa ordina-  
ria, bene observandum esse  
Moabitarum, & Ammonita-  
rum typum, & figuram: Nam  
(ait illa) Hi, quia de incestu nati  
sunt, hereticos expriment, quorum  
auctores, cum doctrinam patrum,  
de qua eruditi sunt, male intelligen-  
do corrumpunt, quasi filia Loth, se  
mine paterno furtim, & in tenebris  
& non legitime utuntur, ideòque e-  
orum proles, id est, sectatores, nun-  
quam in Ecclesia Dei partem habere  
possunt; quoniam ex semine qui-  
dem paterno, & Verbo Dei,  
sed adulterato & furtivo nati  
sunt, non filij lucis, sed noctis  
& tenebrarum, tenebris obscura-  
tum habentes intellectum, & ta-  
men nox nocti indicat scien-  
tiam, dum in peccatis nati toti,  
& in tenebris enutriti, alios  
suã doctrina & scientiã erudire  
presumunt, & ad agnitionem  
veritatis perducere.

VI. Hi, qui ita in nocte, & tene-  
bris oberrant parietum angu-  
los, & obcæcati, palpando ve-  
ritatem apprehendere casuali-  
ter conantur, pueris similes  
sunt, qui obvelatis oculis,  
latentes in angulis socios in-  
quirunt, & si quem eorum of-  
fenderint, nomẽ & personam,  
cæcè palpantes, divinant, hic  
est Petrus, hic est Jacobus, &c.  
Haud aliter aeterna veritas a-  
liquos pseudo-Christos, & oberrantes  
pseudo

Glossa  
Ord. in  
Esd.

Ex furti-  
vo semine  
patris de  
nocte.

Ephes. 4.  
v. 13.

VI.

Blindens  
Mausf-  
ich.

Hæretici  
tenebris

oberrantes

Marci 13  
v. 21.  
pseudopphetas exurrectores  
prædixit, qui tenebris obsura-  
tum habentes intellectum, pal-  
pando inter tenebras Christum  
divinabunt: Et tunc si quis vobis  
dixerit, ecce hic est Christus, ecce  
illic, ne credideritis. O apertissi-  
mam horum temporum Prophetiam,

S Thom.  
de Villan  
Cou. 2.  
S Aug.  
( Exclamant S. Thomas de Vil-  
lanova ) Quid enim aliud recentio-  
res heretici clamant, nisi hic est Chri-  
stus, illic est Christus! Hic est, illic  
non est. Palpant in tenebris  
oberrantes Noctambulones Cano-  
nica Ecclesiæ statuta, & quid

De Chri-  
sto divi-  
nant.

divinant? Non est, inquit, Chri-  
stus in Canonicis statutis. Offen-  
dunt Ecclesiæ Sacramenta: Nonne hic est Christus? Non in  
Ecclesiasticis sacramentis. Inci-  
dunt in observantium Religio-  
num instituta: Et quid de his?  
Non est hic Christus, Non in  
varijs Religionum observantijs. Et  
quid de incruento SS. Missæ  
Sacrificio? Non in usitatis missæ  
sacris Christus est. Sentiunt  
ordinatas Ecclesiæ cæremonias,  
frequentatas diu noctûque lau-  
des divinas, non est Christus in ex-  
terioribus divini cultûs cæremonijs,  
non in frequentatis horarum laudi-  
bus. Odorant cibos quadrage-  
simales, degustant jejunia, pal-  
pant frugales Religiosorum  
mensas. Et quid ad hæc?  
Non in carniû neglectis epulis, non  
denique in hac vivendi Ecclesiastica  
narra, quæ ab Apostolorum tem-

Et de re-  
bus si let.

pore, usque nunc per omnium fide-  
lium nationes ubique terrarum in  
Ecclesiâ perseverat, non inquit  
hic est Christus. Palpant Ba-  
siliûm jejunijs, Franciscum Se-  
raphicum pœnitentiâ macera-  
tum, & stigmatizatum vulne-  
ribus Crucifixi, palpant Augu-  
stinum divino amore exultum,  
Antoniam vigilijs exhaustum,  
Eremitas sanctos catenis, &  
loricis ferreis constrictos. Non  
est hic Christus exclamant, non  
est hæc vita Christiana.

Displiceat  
illis vita  
Sanctorû,

Sed paulò ulterius movete  
gressum, cæci noctambulones,  
declinate ad angulos, palpite,  
an non helluonem tangitis fagi-  
natum? pinguem & tremen-  
tem? cum vino obscœnos eru-  
stantem super convivium jocos?  
qui non nisi carnem, & carna-  
lia sapit? Quis est hic? Hic  
est, inquit, Christus, hic est  
vitæ Christianæ & Ecclesiæ Ro-  
manæ reformator Lutherus, hic  
Calvinus, hic Zvinglius, Oeco-  
lampadius &c. O quàm pulchri  
hi Christi, & Christiani! Homi-  
nes nobis Christum indigitant,  
& monstrant, sed diversa qua-  
rendum viâ, & doctrinâ. Ecce  
hic, ecce illic Lutherus ait. Ecce hic  
Oecolampadius ait: ecce illic; quis-  
que pro suo libitu propriam vivendi  
formam Christi fidelibus statuit. Sed  
ne credideritis; nolite re, neq; secte-  
mini. Nam sicut à luce & ve-  
ritate aberrant, ita etiam inter  
D. 2. le

VII.

Placet at-  
tem vita  
Lutheri.



se non consentiunt, sed alius huc, alius illuc in tenebris oberrat & impingit. Ut merito de illis illud Deuteronomij impletum dici possit: *Percutiat te Dominus amentia & cecitate, ac furore mentis, & palpes in meridie, sicut palpare solet cecus in tenebris.*


*Ceci duces caecorum* Et tamen tot, maximè in miseranda nostra inveniuntur Germani, qui hos in tenebris obrantes homines, doctores sibi elegerunt, & tanquam lucernas in caliginoso loco lucentes sequuntur. Quare alto suspirio exclamans concludit, S. Antistes Valentinas: *O infelices Germani! quis vos fascinavit, non obedire veritati? Qui gentem nobilem à principio orthodoxam tam fraudulenter, & immaniter decepit? Relinquire bubones, & aquilam sequimini matrem Ecclesiam Romanam Catholicam, quæ tanquam Aquila provocans ad volandum pullos suos, & super eos volitans, filios lucis ad claram scripturæ intelligentiam, solisque Justitiæ contemplationem evehit, hanc ergo sequamur aquilam aquila, ut filij lucis, nec Noctuis & Bubonibus nos sociemus, ne*

*Catholici, Aquila.*

eâdem cum istis involuti obscuritate & tenebris, in locum tenebrarum, & æternæ noctis caliginem devoluamur, ubi umbra mortis, & nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat, ubi nullus solis justitiæ splendor, aut diei crepusculum, sed perpetuus occasus, & noctis formido cernitur, ubi infelices tenebrarum filij sine fructu & veniæ spe, æternum plorant plorantes in nocte, & lacrymæ in maxillis eorum, nec est qui consoletur eos, ex omnibus caris suis, quin imò omnes amici ejus spernent eos, & fient eis inimici. *O surdi audite, & ceci intuemini ad videndum, ne aliquando serò nimis in loco tenebrarum, tenebras vestras agnoscituri clametis: Ergo erravimus à via veritatis, & Justitiæ lumen non luxit nobis, & sol intelligentiæ non ortus est nobis.* Igitur dum tempus est, invocare Patrem luminum, qui solem suum oriri facit super bonos & malos, ut oculos mentis vestræ aperiat, & illuminet, ut sic lumine fidei illuminati, videaris lumen gloriæ in sæcula sæculorum, Amen.

Isaia c.  
42. v. 18.

Sap. 5. v.  
6.



# DISCURSUS IV.

*Beth.*

Plorans ploravit in nocte. *Thren. 1. v. 2.*

## DE ANIMA.

*Lamentabilis, & deploranda nox anima peccatricis.*

I. **V**Ti auroræ purpurâ  
 nubes depingens, su-  
 isque erumpentibus  
 radijs orbem illustrâs  
 phœbus, omnes recreat, & ad  
 lætitiâ excitat creaturas, dum  
 serenum mundo invehit diem,  
 ita etiam dum ad ejus recessum  
 atra nox terræ cœloque incu-  
 bat, ad tristitiâ, & luctum  
 componuntur omnia, vivus re-  
 bus deficit color, & nigro fyr-  
 mate, quasi luctuosum tegitur  
 universum, quare silentiæ con-  
 grua dies, luctui meritò com-  
 moda nox est, & nutritrix tristi-  
 tiæ; Hinc meritò Filia Sion  
 lacrymabilis luctus nocti refer-  
 vatus describitur: *Plorans plora-  
 vit in nocte, & lacrymæ ejus in ma-  
 xillis ejus, nempe (uti moraliter  
 cum Paschalis exponit Glossa*

Ordinaria) plorans plorat in  
 nocte, *Anima, scilicet in cœcitare  
 peccatorum, de qua dicitur: Sit nox  
 illa solitaria, nec laude digna.*  
 Quàm ergo periculosa hæc  
 nox, ac tenebrosa cœcitas, sit  
 animæ peccatrici, ac proinde  
 incessantibus deploranda lacry-  
 mis, in præsentî exponam.

Optimè cum Hugone Victo-  
 rino observat Doctor meus Se-  
 raphicus, *Quòd sicut oculus corpo-  
 ralis habet diem, & noctem suam,  
 ita quoque oculus cordis habet diem  
 suam, & noctem suam... Et ideo plu-  
 riescit, quòd quando nox est corpo-  
 ri, dies est menti; & quando est dies  
 corporis, pluries est nox menti.* Quæ  
 quidem nox, mentalibus ocu-  
 lis, ab ipsis peccatorum tene-  
 bris inducitur; De obscuris  
 hisce tenebris vehementer Da-  
 D 3

ob. c. 3.  
v. 7.

II. S. Bonav.  
de 7 do-  
mis spi. S.  
c. 3.

Oculus  
corporis,  
& mentis

Nox est  
cœcitas  
menti.

Glossa  
Ordin.

vid

Mal. 142. vid conqueritur: quia persecutus  
 2. 3. est inimicus animam meam, & hu-  
 miliavit in terra vitam meam, col-  
 locavit me in obscuris, sicut mortuos

Glossa seculi, nempe in obscuris, id est,  
 Interl. tenebris vitiorum, uti Interlinea-  
 ris glossatur. Non minus fle-  
 biliter idem de plorat peccatrix

Thren. c. 3. In tenebris  
 3. v. 6. collocavit me, quasi mortuos sempi-  
 ternos. Denotant hæc verba

duram, & obscuram animæ  
 captivitatem, qua Ægyptio-  
 rum instar (uti supra meiora-  
 tum) quasi colligata & vincta,  
 tam tetro, & tenebroso carce-  
 ri mancipata est, tanquam ca-  
 daver fœtido, & obscuro se-  
 pulchro, ita ut sœva, & obscu-  
 ra captivitas non viventis ho-  
 minis custodiam, sed potius  
 mortui repræsentet sepulchrū;  
 In tenebris collocavit me  
 quasi mortuos sempiternos.

Et bene demortuo cadaveri  
 comparatur anima peccatrix,  
 non solum animæ suæ animā,  
 id est, Deo suo privata, mor-  
 dente conscientia vermē cor-  
 rosa fœtore vitiorum tabida,  
 sed etiam quā maximè, quia  
 tanquam mortua, oculorum  
 mentalium lumine orbata, ac  
 tenebris, obscuraque noctis  
 caligine circumdata, tota con-  
 turbata & confusa, nec propria  
 miseriæ abyssum agnoscit. Ap-  
 positè simul mors, cæcitas, te-  
 nebræ, & nox junguntur, quia  
 in tenebris, & obscura nocte  
 ambulans, licet aliàs a-

Mors ca-  
 zitas, nox  
 sa tenebra,

cutis præditus oculis, æquè  
 tamen parum videt, ac cæcus; Ioann. c.  
 nam, qui ambulat in tenebris, nescit 12. v. 35.  
 quò vadat; cæcus è contra etiam  
 clara die, & sereno cœlo plateas  
 obambulans, nihilo tamen me-  
 liùs videt, sed tanquam in ob-  
 scura nocte, vel tenebroso car-  
 cere, & sepulchro conclusus,  
 cœlesti luminis beneficio pri-  
 vatur.

Vita peccatorum dolorosæ  
 morti, molestæ cæcitati, densis  
 tenebris, obscuræ nocti simili-  
 ma; In tenebris collocavit me,  
 quasi mortuos sempiternos.

Anima quippe, ait glossa, A-  
 misso lumine in tenebris collocata, nec  
 seipsam, quā sit misera, quā in-  
 felix, quibus oppressa malis, aut nu-  
 data bonis videre potest. Privatur  
 anima peccatrix divinâ gratiâ,  
 Imago Dei in ipsa dedecoratur,  
 omnis pulchritudo ac species  
 in turpitudinem & dæmonum  
 similitudinem convertitur; nec  
 tamen ipsa infelix & cæca,  
 quā sit misera & turpis, vide-  
 re & agnoscere potest. Am-  
 bulat quasi in fune (& qui-  
 dem in nocte) super ipsum æ-  
 ternæ damnationis abyssum ex-  
 tenso peccatrix anima, solo  
 quatuor humorum & prima-  
 rum qualitatum quilibrio se su-  
 stentans, unò quid dico in fune?  
 In filo vel supra tenue filum  
 ambulat, nam.

Omnia sunt hominum tenui-  
 pendencia filo.

In hisce tamen periculosis salti-  
 bus.

Gloss. hic  
 Anima  
 cæca non  
 se agnos-  
 cit.

bus, nullum sui periculum ag-  
noscit anima, nec quàm sit misera,  
quàm infelix, videre potest. Internis  
inpirationibus acclamat Deus:  
Revertere, revertere Sunamitis:  
Æternæ damnationis minis in-  
tonant divini Verbi præcones:  
Derelinquat impius viam suam  
Nec tamen periculum appræ-  
hendere aut videre cæca vult  
anima, ambulans enim intene-  
bris nescit quò vadat. Monent  
amici, urgent propinqui infa-  
mem peccatorem, ut se à vi-  
tiosis consortiis retrahat, quæ  
ipsum non tantum Dei gratia,  
& gloriâ, sed etiamnum in hac  
vita bonis corporis, sanitate  
scilicet, ac longioris vitæ spe,  
bonis fortunæ, & bonis famæ  
totaliter privatura sint, sed per-  
git adhæc audita peccatrix ani-  
ma obcæcata, non videns, nec  
appræhendens, quibus sit op-  
pressa malis, aut nudata bonis.

Admoni-  
tiones non  
admittit.

III.

Genes. c.  
1, v. 2.

Cæli sunt  
boni.

Terra, ma-  
li.

Dum ipsam Mundi creatio-  
nem sacræ paginæ describunt,  
statim in principio commemo-  
rant, quòd creavit Deus cœ-  
lum & terram, terra autem erat  
inanis & vacua, & tenebræ erant  
super faciem abyssi. Egregiè ad  
propositum nostrum super hunc  
scripturæ passum moralizat Hu-  
go Carenlis, Filius (inquit) est  
creator cæli, id est, bonorum; & ter-  
ræ, id est, malorum. Isaiæ 45.  
Formans lucem, & creans tenebras  
... Cæli, sunt sancti: Terra, mali.  
Terra autem erat inanis & va-

cua: Mali sunt inanes, & vacui à  
bono, ait Hugo. Et tenebræ, pec-  
catorum, & ignorantia, erant su-  
per faciem Abyssi, id est, super  
cor peccatoris. Licet autem ter-  
ra, id est, terrenus homo, &  
peccator sit inanis & vacuus ab  
omni bono, omnibusque virtu-  
tibus, bonisque nudatus, nihi-  
lominus, quia tenebræ ignoran-  
tiæ, & peccatorum obducunt  
faciem abyssi, & oculos pecca-  
toris, in abyssio scelerum pro-  
fundati; suam nuditatem, &  
(ut ita dicam) vacuitatem &  
inanitiem, in tenebris colloca-  
tus, videre non potest; neque  
inter Ægyptias tenebras, sta-  
tus sui dejectionem appræhen-  
dit, quam amici cæcitatem, ac  
oculorum mentalium priva-  
tionem imprimis Tartareus  
Pharao intendit; Hoc enim ma-  
ximè conatur inimicus, ut anima  
lumen amittat, nec amissum reci-  
piat, uti glossa testatur.

Vacui &  
obscuri.

Glossa  
ordinaria  
Thren. c.  
3. cit.

IV.

Judith. c.  
16, ve 21.

Samson  
rasus &  
excacatus

Invincibilis ille Philistino-  
rum domitor Samson, dolosis  
propriæ uxoris blanditiis supe-  
ratus, dum in illius sinu sine  
metu recubuit, proditoriâ fal-  
sæ amasiæ manu, capillis simul,  
& suâ fortitudine privatus in  
Philistinorum potestatem de-  
venit, indignus liberate, qui  
se sponte mulieris mancipium  
fecerat, & captivum. Quem  
cum appræhendissent Philistim,  
statim eruerunt oculos ejus, &  
duxerunt Gazam vinctum cate-  
nis,

nis, & clausum in carcere molere fecerunt. Dolosum hoc erat Philistinorum stratagemata, quod imprimis eruendos hosti oculos statuerunt, ut excæcatus, sibi defendendo, aliisque ferendis inutilis, omnem insuper aufugiendi, aut evadendi spem amitteret, sed molendino instar mancipii aut bestiae alligatus, in circulum ageretur, ex terrore hostium, factus iisdem ludibrii spectaculum.

Quod Philistæi mediante Dalila adversus Samsonem, hoc idem contra misellam animam peccatricem perpetrant hostes Tartarei, mediante carnis & oculorum cupiditate, quæ subdolè languidam, & somnolentam in spiritu animam invadens, septem illi capillos, ut Samsoni, radit, qui septiforme lumen designabant gratiæ, teste S. Ephrem. Amisso hoc lumine, ac Nazareis crinibus, anima tota debilis, & imbellis, à maligno hoste facilè devincitur, & vincitur; eruuntur oculi, dum nempe intellectus obtunditur (uti cum

Glossa magno Gregorio Glossa affirmat) ut cæca mens, quò ducitur nesciat, & carnis illecebris se libenter subdat. sub jugo voluptatis semper in circuitum agenda, merito apud Jeremiam ingemiscens: In tenebris collocavit me, quasi mortuos sempiternos. Hoc enim maxime conatur inimicus (glossatur in

hunc passum Ordinaria) ut anima lumen amittat, nec amissum recipiat. Hinc Philistæi Samsoni oculos eruerunt, deinde ad molam mittunt, ut ambulans in circuitu, nunquam viam vitæ inveniat.

Licet enim peccatrix anima vias difficiles se ambulare advertat, & grave vitiorum jugum & onus sentiat, per contractam tamen malam consuetudinem & cæcitate cum impiis in circuitu ambulat, & de peccato in peccatū maligni spiritus impetu agitur, ut (quamvis in via iniquitatis lassata) eam tamè relinquere, aut viam vitæ aggredi non valeat. Nam mundi vanitas, concupiscentia oculorum, apparatus vestiū, &c.

Sic excæcant oculos animæ, & rationis, quòd dulcius videatur, stare cum Samsonem ad molam curæ mundialis, quam cum Sponsa Ecclesie ad dispensationem curæ pastorali. Hæc quidem verba ad quendam Episcopum monendo edixerat S. Brigitta, qui magis curiæ, quam propria Episcopalis curæ labores amabat, quæ tamen etiam de quavis peccatrice anima applicari possunt, & intelligi; dum hæc magis amat inter mundi labores & inquietudines cæcâ cupiditate agitari, quam cum sacra Sponsa in suavi contemplationis divinarum rerum letulo requiescere. Adeò excæcata in peccatis anima nusquam.

Glossa

hic.

Ad molam ligatur.

Psal. 11. v. 9.

S. Brigitta l. 1. c. 126.

S. Ephrem som. 1. fer adu. improb. a. u. hieres.

Glossa hic.

Thren. c. 3. v. 6.

quam viam vitæ invenire, & nec seipsam, quam sit misera & infelix, videre potest.

V. In tali animi cæcitate, & mentis tenebris ambulabat, qui de seipso ingemiscens fatetur:

S. Augusti  
Soli. c.  
33.

*Involvebar in tenebris, filius tenebrarum: Tenebras meas amabam, quia lumen non cognoscebam; Cæcus eram, & cæcitatem amabam, & ad tenebras, per tenebras ambulabam. Videtur hæc Augustini cæcitas & tenebræ, ab Ægyptiis illis tenebris multum esse diversa, dum in his nemo vidit fratrem, nec movit se de loco, in quo erat; Move-*

Exod. c.  
10. v. 23.

*bat se verò Augustinus in obscura sua nocte, & animi cæcitate, dum ad tenebras per tenebras ambulabat. Sed notandum, quòd motus alius est relictus, alius circularis; Motus rectus se abstrahit & recedit à termino à quo, & tendit ad aliud punctum & terminum ad quem, à priori recedens, sed motus circularis in eadem semper remanens circumferentia, nunquam propius ad punctum suum accedit, sed in orbem circulariter se movens in fine æquè ac in principio, à centro suo elongatus est, quapropter, ratione centri, motus circularis pro motu quasi non est reputandus. Ægyptii, id est, peccatores obcæcati, & obstinati, non se movent loco, quia inter tenebras suas nec longius à ma-*

P. Franc. Josephi Op. IV.

lo suo recedunt, nec ad Deum propius accedunt, sed in circuitu ambulantes centrum suum, nempe Deum, nequaquam attingunt, nec motu recto à malo ad bonum, vel de virtute in virtutem progrediuntur, sed motu obliquo & circulari per tenebras ad tenebras ambulanti; Et in his tenebris nemo videt fratrem suum, qui à malo retrahere, & ad centrum, Deum suum, & semitam suam se dirigere intendit, sed in profundum, & abyssum tenebrarum veniens, directionem contemnit, ita excæcatus, ut nec ipsas suas palpabiles & à cunctis perspectas tenebras agnoscat, ut probè de isto illud Poëta sacri, memorari possit:

*Et neque (quod miserium  
num solet esse levamen)  
Ipsa suam noctem mens  
miseranda videt.*

Dum ergo noctem suam non videt, & advertit, consequenter neque noctis periculum, & laqueos tenebrarum, dolosæ ve principis tenebrarum fascinationes, qua durante noctis interna cæcitate detegi nullatenus possunt.

De Patriarcha Isaaco memorat sacer textus, quòd senuit, & caligaverunt oculi ejus, & videre non poterat, quare filio suo primogenito Esau (qui a-

Genes. c.  
27. v. 1.

E. vena-

Noctem  
suam non  
agnoscit.

VI.

Isaac sa-  
nox ac ca-  
cus.

ventionique deditus) mandat, ut sumptis armis & pharetrâ egrediatur, cùmque venatu aliquid apprehenderit, faceret sibi inde pulmentum, sicut velle se noverit, egressum in agros fratrem materno consilio subornatus pravenit Jacob, coctisque hædos solito pulmento, ac condimento preparatos, pro carne ferina, comedit cæcus, ac senex pater, quin imò Jacobo secundogenito, germani sui fragrantibus vestibus induto, ac rudi pelle (qualis fratris sui erat) cōtecto paternam impertitus est benedictionem, dum secundogenitum cæcitate ductus, primogenitum reputavit.

Peccator  
consuetu-  
dinarius

Hugo  
Card. in  
Ioan. c. 9.  
v. 1.

Magna quidem in cæco ac senex, piòque Isaaco mysteria nobis denotantur, quem tamen ob cæcitate defectum Hugo Cardinalis ad figuram peccatoris jam inveteratâ consuetudine excæcati trahit. *Quidam* (ait ipse) *excæcatur longâ peccatorum consuetudine, & significatur per Isaac, &c.* cui malignus supplantator loco ferinæ carnis, & prædæ nobilis, opponit fœrentes hædos peccatorum, & immanium vitiorum, quorum fœtorem meritò justus & sensatus quisque abhorret, hæc tamen tam bene condito, & ad gustum peccatoris costo pulmento preparat infernalis Na-

buzardan, id est, Præfectus coquorum, sicut velle cùm novit, ut cæco appetitu inter mentis tenebras, sine horrore, tabidos, ac fœtidos bolos deglutire non vereatur, & insuper vitiosis hominibus ac sodalibus quavis gratæ conversationis, ac politicæ affabilitatis pelle contentis, ac furtivo simulatâ virtutis vestitu fragrantibus benedicat, eos amplectatur, & foveat, longâ scilicet peccatorum consuetudine excæcatus, vel hoc ipso infelicio, quoddam miseriam ac infelicitatem suam non agnoscat, multò minus deploret.

VII.

Hoc planè primum abigen-  
dæ noctis & cæcitate remediū,  
ipsam suam noctem agnosce-  
re, agnoscendo deplorare, &  
deplorando divinum lumen im-  
plorare, quare in hoc commen-  
dabilis est valde peccatrix illa  
anima, quæ apud Jeremiam in  
nocte quidem & cæcitate vitio-  
rum versabatur, sed tamen plo-  
rans ploravit in nocte, noctis  
tenebras agnoscens, & cum  
cæco illo sedente secus viam,  
& mendicante illuminatorem  
ingeminans: **JESU** fili David  
miserere mei. Cæcus iste, Luc 18.  
v. 35.  
juxta comunem expositorum  
consensum, est genus humanū,  
vel (ait Hugo) *peccator quilibet,  
veræ cognitionis lumine carens, &  
tenebras culpæ, & ignorantia pa-  
tiens;*

Agnosce-  
re cæcitate  
rem prin-  
cipium  
conversio-  
nis.

Luc 18.  
v. 35.

Hugo  
Card. hic.

*Ans;* in hoc tamen laudandus, si sit mendicans: *Id est, rogans, qui idè rogavit, quia cecitatem, & paupertatem suam cognovit.* Unde etiam bene advertit glossa, quòd quarenti Salvatore: Quid tibi vis faciam? Aliud non respondit mendicans, nisi: Domine, ut videam. *Non petit*

Glossa  
Ord. hic.

*caecus aurum, vel aliquid temporale, sed tantum lumen. Imitemur ergo eum, quem mente & corpore audivimus sanatum, petimus à Domino lucem aeternae visionis. Acclamamus illi: Anima mea desideravi te in nocte, scilicet in nocte peccati, glossatur Hugo, in hac nocte, anima illum desiderat, qui tanquam lux in tenebris lucet; Id est in peccatoribus, quia Ver-*

Ita. c. 26.  
v. 9.

Hugo hic

Byran in  
Ioan. c. 1.

*bum (teste Eyrano) quantum est in se, illustrat eos luce gratiae, semper ad nos illuminandos paratum.*

VIII.

Ad propositum nostrum bene advertendum, quòd super Abyssum tenebris obductam (quo cor peccatoris obcaecati delignatum, superius memoravimus) Spiritus Domini ferebatur: *Quia quocunque suam homines per peccata, semper superfer-*

Hugo  
Card. hic

Jerem. c.  
3. v. 1.

Deus sicut  
Avis pul-

*tur Dominus, sicut avicula super nidum, cum pulli ejus rapiuntur, clamitant: Tu fornicata es cum amatoribus multis, nunc saltem revertere & ego suscipiam te, uti in hunc locum scribit Carensis. Scimus quàm se reverter, quàm sollicitè*

*avis circumvolet nidum, raptos, vel saltem dispersos congregans pullos, quàm anxiam, curam quàm lamentabili voce illos convocet; Non minus sollicitè congregandis pullis dispersis & raptis (peccatoribus scilicet) circumvolat Spiritus Domini. Sed qua ratione, quo medio congregat? Dixitque Deus: fiat Lux. Hoc primum congregandis & convertendis peccatoribus medium adhibet Deus, ut lucem faciat, & immittat in abyssum, id est, cor peccatoris, qua pullis ignorantia & caecitatis tenebris reverti valeant sub alas benignissimi sui creatoris: nam quamdiu non est, ambulandi, & revertendi non datur copia: *Qui ambulat in tenebris, nescit, quò vadat. Va! Va! Cecitati illi, in qua videre non poterat lumen caeli! exclamat Augustinus.**

tores  
congregare  
cessit.

Ioan. c. 12.  
v. 35.

August.  
Soli. c.  
33.

Quare, o peccatrix anima, sedens in tenebris, & umbrae mortis, plorans plora in nocte, & ex intimis ingemiscens precordis, clama, & invoca Spiritus sancti gratiam; Fiat Lux: Domine, ut videam.

Sic suspirabat, sic ingemiscebat, sic clamabat Augustinus: *Et tu quidem Domine lux mea, illumina oculos meos, ut videam lumen, & ambulem in lumine tuo, & non impingam in laqueos ejus. Quis enim evadet laqueos istos multos, nisi videas*

S. August.  
Soli. c. 27

E 2

videas



videat eos? Et quis videbit eos, nisi quem illuminaveris lumine tuo? Qui enim ambulat in die, non offendit, quia Lux non est in eo. Tu Lux Domine, tu Lux filiorum lucis, tu dies qui nescis occasum, in qua ambulant filij tui sine offensione, &c.

Solil. c.  
33.

Posthac summo animi júbilo sibi congratulabatur, dum illius influxum sensit. Vocasti enim (ait) me nomina tuo, intonasti de super voce grandi in interiorem aurem cordis mei: Fiat Lux, & facta est Lux: & discessit nubes magna, & liquefacta est nubes tenebrosa,

qua operuerat oculos meos, & vidi lucem tuam, & dixi: Verè Domine tu es Deus meus, qui eduxisti me de tenebra & umbra mortis & vocasti me in admirabile lumen tuum, &c.

Intona & tu Domine super abyssum cordis nostri, peccatorum tenebris obductam; intona: Fiat Lux: Liquefac nubes tenebrosas ignorantia, & cæcitatatis nostræ, ut videamus lumen, ut quieramus aliquando tenebra, nunc autem Lux fiamus in Domino, quo adducamur in admirabile lumen gloria tuæ, Amen.

Ephes.  
c. 5. v. 8.



DISCUR-